

Q. 183.
22

X 1975031

Ve
1898

EXERCITIUM SECUNDUM,

Supra

Ordin. Proc. Jud. Sax. ad Tit. I.

DE OFFICIO JUDICIS,

quod

Juvante Christo Justitiæ
Maximo Protectore

IN
ALMA FRIDERICIANA

*Placida Eruditorum Censuræ
submitit*

JOH. CASPARUS Jungmichel/
Phil. M. & J. U. C.

HALÆ,

Literis VID. SALFELDIANÆ,
ANNO 1692.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
POMERANICA



*Nobilissimis, Præstantissimis, Doctissimis
atque Prudentissimis*

DOMINIS,

DN. JOHANNI MELCHIORI

Scheden /

Seren, Elect. Sax. Præfecto Præfecturæ
Pirnensis longè meritissimo.

DN. JOHANNI Gottlieb Wagnern /

Seren, ac Potent. Elect. Sax. à Vectigalibus
(Skitsmann) ut & Senatori Pirnentium
meritissimo.

ET

DN. JOHANNI MARTINO

Helmerten /

J. U. Cand. & Practico celeberrimo.

*Dominis Patronis, Fautoribus atque
Amicis suis, omni honoris cultu devenerandis,*

Hoc quicquid est exercitii cum o-
mnigenæ felicitatis ac prosperitatis
voto,

D. D. D.

Halæ Sax. M. Oct. 1692.

M. Johannes Casparus Jungmichel /
J. U. Candid.



Benevole Lector.

Non animus est ea omnia, quæ ad h. tit. à Commentatoribus Ordin. Proc jud. Sax. fusius annotantur, hoc locò repetere, (Labor enim esset supervacaneus & actus frustratorius, quem omnes boni detestantur,) sed saltem notabiliora brevissimis lineolis pertractare. Nihil itaque reliquum est, nisi ut supremum Numen) quod ubique celebratur. *l. 2. in pr. C. de summ. trinit. & sine quod nihil unquam commodè geri potest Nov. 6. & Nov. 164.*) invocam, quod jactam secundet aleam, clemensque ex alto juvet conatus hos nostros, & principium totius laboris juxta cum medio ac fine sit decens ipsique amabilissimum.

Heu ex axe poli venias Trinuna potestas
Lumine corda regas, Numine corda tegas!

Driusquam rem ipsam aggrediamur & quid officium judicis sit in Composito seu Concreto dicamus, ne illotis, quod dicitur manibus hunc titulum tractare, methodique receptæ leges negligere videar, in vocabulorum originem breviter inquirendum & videndum quid officium, quid Judex, nisi enim homines con-
):(venie

vènant in significatione nominum, quî potest de rebus inter
cos esse disputatio. *Matth. Stephan. de Jurisd. lib. 1. c. 1.*

Dicitur autem officium vel ab efficiendo vel ab officien-
do, id quod unusquisque efficere debet, ut nulli officiat, ser-
vata scilicet Honestate, quid loco, quid tempori, quid per-
sonis conveniat. Significat itaq; functionem sive expediti-
onem & quidem liberalem, ingenuam, ac propriè est filii, uxo-
ris, & earum personarum necessitudine quâdam nobis junctâ-
rum, perinde uti Ministerium est servorum, Beneficium
verò, quod alienus dat, qui potuit sine Reprehensione cessare.
Calvin. in Lex. Jurid.

Vocabulum Judex descendit à Jure dicendo, eo quod
Judex inter partes litigantes Jus dicit, causam ad se delatam
ex fundamento Juris discernit, ac ita unicuique quod suum
est & justitia causæ requirit, tribuit; Quemadmodum etiam
Germanicum verbum **Richter** originem trahit à voce Ger-
manicâ **Richten**/id est, discernere, cognoscere, judicare, quia
Judex cognoscit, discernit primum & judicat postmodum,
sententiam secundum LL. & Jura præscripta ferendo.

Communitè Officium Judicis à Dd. dividitur in Nobile
& Mercenarium: Illud vocant, quod per se stat, nec actioni
deservit, quando judex ex æquitate contra Juris rigorem & so-
lennitates aliquid facere potest, **Ben Amts wegen**; E contra
Mercenarium Judicis Officium quasi servile, ideò dictum vi-
detur: quod Judex ex eo procedens formulam ac requisita
actionis præcisè sequi teneatur, *Bach. Fran. & Vinn. ad pr. l. de
Off. Jud.* Consistit autem Officium Judicis in tribus: In co-
gnoscendo de causa, in pronunciando de causâ cognita, &
demum in exequendo causam, de quâ cognovit & pronunci-
avit.

Primum Judex debet causam accuratè cum omnibus su-
is circumstantiis cognoscere & probè ponderare, *L. 9. C. de
Judic. 32. §. 2. ff. ad L. Aquil.* Postquam enim utraque Litigan-
tium Pars factum narrat & Jus debitum sibi reddi petit, in-
cumbit Judici primùm inquirere, an preces veritate nitan-
tur, audireque Probationes, atque ubi se ita habere depre-
henderit, de Jure adæquato circumspicere, quod commodè
isthuc

isthuc applicari queat. Hoc ipsum etenim est Judicis Of-
ficiū, ut Jus ad factum applicet. Hinc est vulgare Bro-
cardicum: quod Judex debeat habere duplicem talem: Sci-
entia, ne sit insipidus; & Conscientia, ne sit Diabolus. *Bald.*
in l. 2. C. de sent. ex per recitand. Jason in l. rem non novam 1. C. de
Judic. Menoch. 2. arbitr. cas. 334. Inde etiam in Jure nostro di-
citur Vir bonus. *L. 137. §. cum ita ff. de V. O. L. 18. ff. judicatum*
solvi. l. 17 §. 5 ff. de injuriis Vid. Menoch. de arbitr. judic. quest. lib.
1. in proem. n. 6. 7. 8. 9, & 10. Quamvis enim omnis & quilibet
dicatur vel præsumatur esse bonus, donec probetur contra-
rium; nihilominus tamen κατ' ἐξοχήν sive secundum præmi-
nentiam Judex dicitur Vir bonus. Et quidem in Jure nostro,
quoties mentio fit VIRI BONI, puta ex arbitrio Viri boni rem
aliquam esse æstimandam, decernendam &c. semper intel-
ligitur judex. *Mantica de Conjectur. ultimar. voluntat. lib. 3. tit. 1.*
n. 18. Sed hac occasione nobis deveniendum erit ad illam
controversiam: Utrum Judex secundum acta & probata, an
vero secundum Conscientiam & Scientiam judicare debe-
at? Quam communiter Dd. ita resolvunt, quod scilicet
Judex communi opinione in definiendis controversiis judi-
care omninò teneatur, secundum allegata legitimè & plene
probata, nullâ Conscientiâ s. Veritatis privatim cognitâ ha-
bitâ ratione, quia Judex publicâ autoritate fungitur, ideo-
que non ex suâ privatâ Conscientiâ judicare debet. Nam
Judices, ut publicæ Personæ, uti debent publicâ informatione
& scientiâ, fidemque adhibere his tenentur, quæ sibi ut Ju-
dicibus nota sunt, non his quæ norunt ut privati. Si tamen
judex existimet vel dubitet ei non licere publicâ auctoritate
contra Conscientiam judicare, Consultius ac tutius erit eo
in casu alium Judicem substitui aut delegari, ne alioquin ju-
dicans contra Dictamen Conscientiæ fieret reus judicio. Sed
de hac quæstione multum & in hanc & in illam partem agita-
tâ latius videri possunt. *Köppen. 2. Obs. 117. Paul. Christineus De-*
cis. Belgic. 2 Decis. 148. Nebelkrä lib. 1. Decis. 3. Francisc. Vir. Decis.
178. Covarruv. lib. 1. Resol. cap. 1. Bæcler in Judice pag. 25. Struv. in
Syntagm. Jur. Civ. Exerc. XLIV. thes. V. Præterea Officiū Ju-
dicis summatim & accuratè satis describit Ordin. nostra Pro-
cessus

cessus Judiciarii Saxon. tit. i. in pr. hisce verbis: *Daß sich ein je-
der Richter mit Administration gleichdurchgehender Justiti-
en, &c. usque verantworten könne.* Quod denique Tertium at-
tinet, ut Judex post Sententiam rem judicatam sine morâ
tradat executioni; Cùm de hâc materiâ infra nobis erit di-
cendum, Ideo eò usque differemus, donec ad Cap. 39. per-
veniamus, ubi hanc materiam loco convenienti fusius per-
tractabimus. Hic disquirendum venit: si Judex qui parti-
bus justitiam denegavit, retardavit vel protraxit se offerat
ad justitiam administrandam, An illa causa, quæ propter ju-
stitiam denegatam vel protractam per Apellationem ad Se-
renissimum Judicem ad quem est devoluta, ad Judicem à
quo seu inferiorem remittenda sit. Et respondetur quod
non, quia qui semel malus negligensque fuerit & justitiam
denegavit, si multates ac odia contra appellantem sub corde
fovere, & illi, si non directo, tamen oblique semper molesti-
as & gravamina creaturus præsumitur, qua de causa Seren.
El. Sax. in causa U. C. v. T. contra N. D. v. T. rescripsit:
Wir tragen der N. Suchen zu deferren Bedencken.

Cæterum cui volupe est de officio Judicis plura & quidem
accuratiori studio & limâ elaborata legere, (quoniam hîc bre-
vitati studemus) haud gravatim adeat *Gabrielis Alvarez de
Velasco Tractatum de Judice perfecto, ibid, hinc inde magno agmine
allegatos Dd. idemque Martini, Philippi aliosq, Commenta-
tores in Ordin. Processus Saxonici hoc Tit.*

Cùm verò in ultimo Paragrapho mentio fiat Processus
Diffamatorii, & Judex admoneatur, quod ipsum non indif-
ferenter & non prius debeat admittere, antequam diffama-
tio summarie fuerit probata; Hîc obiter tanquam singulare
quid annotandum est, quòd Actio diffamatoria possit insti-
tui coram quocunque Judice, sive sit competens sive non,
non artento Doctorum, Professorum, Studiosorum aliorum-
que foro Privilegiato, qualis Casus non ita pridem in cu-
ria supremâ, quæ Lipsiæ est, fuit ventilatus, & juxta prædi-
ctam opinionem decisus. Verba sent. *Daß Diffamant auf
die erhobene Diffamation seines Vorwendens ungeachtet sich ein-
zulassen schuldigen. B. N. W.* Verum licet latius fortasse & ma-
jori

jori cum studio hocce Exercitium deducere potuissemus, & forte etiam loci & instituti ratio ampliorem a nobis tractationem exegisset, causis multis tamen non destitutor, inter quos temporis & librorum defectus in peregrinatione haetenus continuatâ, præcipuè considerandæ veniunt, quæ brevitatis studium mihi imposuere & simul veniam inconcinnae hujus & nimis deproperatae scriptiunculæ à B. L. certo mihi pollicentur. Dab. Halæ Sax. d. 30. Octobr. 1692.

Gloria fit soli, quo cœpimus auspice cursum,
Et portum attingimus; vela regente Deo.

Coronidis loco quæritur.

An meretrix sit in rerum natura? Et videtur quod non, juxta gloss. in cap. vidua 16. dist. 34. Ubi tantum ea Meretrix dicitur: Quæ | viginti tria hominum millia (23000.) admisit. Hoc si verum, nullam nec olim fuisse nec hodie dari meretricem defendam NB. ex natura impossibile. Sed videatur cit. cap. vidua, § l. 43. pr. §. 1. seqq. de rit. nupt. Hahn. ad Wesenb. b. 1. n. 2. Ubi illa meretrix dicitur: quæ quæstus causa multorum patet libidini Welche mit der Hand da sie auff sitzen/ ihr Brodt verdienen / seu quæ & aliis sese palam prostituit & cuiusvis petenti copiam sui facit, & ad minimum tres admisit. Farinas. qu. 136. n. 85.

2. An Meretricis nomen illæ competat, cujus vita ante acta nihil mali præsetulit, sed amoris vi subacta copiam sui amanti fecit? Pro negativa pugnant, Carpz. P. 2. C. 6. D. 14. n. 6. seqq. Hahn. d. l. Menoch. de A. J. Q. cas. 328. n. 3. seqq. Cum nihil furore amoris vehementius, eumque retinere sit potius Philosophicum quam muliebri opus. Nov. 74. cap. 4. Bald. in l. impuberum Col. 5. n. 21. aut. med. C. de imput. & al. subst. Et ita liberrima voluntate non consentit illi, quæ amore capta usum rationis & sensum amisit. Cypræus de Spons. cap. 13. §. 63. & 64.

3. Si quis Virginem quandam, An meretrix sit; interrogaverit, an taliter curiosus injuriarum actione possit pulsari? Quod affirmandum duco, quia omnis, qui hoc modo de alterius famæ vitæque integritate interrogat, dubitat. Illa autem

1098
Ye
autem, quæ absque præcedentibus legitimis indiciis concipitur dubitatio, injuriosa est & legibus adversa, quippe quæ volunt, ut quilibet tamdiu bonus præsumatur, donec contrarium demonstrari possit, *arg. l. si. ff. pro soc. l. 18. §. 1. ff. de prob.*

4. An Virgines, quæ à Studiosis amplectantur, pro suspectis habendæ? Affirmat Baldus, sed negativa mihi verior videtur. Quia Studiosi pro Clericis habentur & ita appellantur. *vid. Rittersh. in Expl. novell. part. 9. c. 8. n. 8. Limn. de J. P. l. 8. c. 6. n. 5. Clerico a. qui mulierem (Mulier enim sua generalitate omnem Personam sexus fœminini comprehendit l. 13. ff. de V. S.) amplectit, præsumitur illud facere benedicendi causa & si deosculetur zelo charitatis, gloss. in can absit 14. caus. 11. qu. 3. Sed à tali benedictione libera nos Domine.*

5. Quomodo osculum rectè sit expediendum? Et respondetur: Apponas alteram manum ad mentum virginis, alteram vero ad occiput, cum eleganti labiorum impressione, tunc festinant invicem ad se animæ per ora, concurruntq; circumlabia, fitque ibi coitus animarum dulcissimus.

6. Dic ultimo precor: Uxorem qualem ducam?

An Viduam? Dominam quis poterit ferre tonantem;

An Vetulam? Toleret quis patienter anum.

Fœcundam? Illa domum mihi prole gravabit:

An sterilem? Sterilis non decus arbor habet.

An ditem? Nihil est magis intolerabile dite.

Ast inopem? Quid opis ferre valebis inops.

Pauciloquam? Non me poterit recreare loquendo.

Verbosam? Mulier res onerosa loquax.

Formosam? Variis est subdita forma periculis.

Deformem? Pœnam ducere numquid amem?

Non igitur ducenda Uxor, cum maxima semper

Ducendo Uxorem damna timenda fient.

An Viduam, quæ duos maritos habuit? Hüte dich / mein Pferdt schlägt dich.

Anne puellam? Hæc satis apta mihi veniet. Hæ enim rectissime ab Ovidio & aliis vocantur Amicæ, cum quibus consentimus & facimus,



m.c

Q.R. 183.
22 EXERC

Ordin. I
DE

JU

ALMA

Pla

JOH. C

3656 3656 3656

Lite

Ve
1898

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SALLE)

BIBLIOTHECA
ICEAVIANA

